



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd Iustinianus à recta fidei cultura excidēs, domini corpus omnis
prorsus corruptionis expers esse contendebat. Cap. XXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

* matis firmè constrictum extra sacra ecclesiæ mœnia eiici-
 * mus. Ac post, adiungunt ista. Actorum nostrorum vim, ex
 * eorum lectione, facile intelliges. His adiunxere capita,
 * quæ patroni dogmatū Origenis didicerant: quæ nō eorū
 * solum consensum, verum etiam dissensionem, atque adeo
 * multiplicem errorem perspicue declararunt. Quorū quin-
 * tum caput fuit blasphemiarum, quæ ex persona nonnullo-
 * rum monachorum nouum monasteriorum incolentiū pro-
 * ferebantur: quod ita se habet. Theodorus, qui Ascidas
 * dicitur, episcopus Cæsareæ dixit. Si iam apostoli & mar-
 * tyres, qui miracula edunt, in tanto honore sint, quæ tan-
 * dem erit illis restitutio in vltima carnis restitutione,
 * nisi pares & æquales Christo efficiantur. Recenseban-
 * tur porrò ab illis, qui has res studiose admodum college-
 * runt, complures Didimi, Euagrii, Theodori, aliæ blasphe-
 * miæ. Post istud concilium, aliquo temporis inter-
 * uallo interiecto, Euty chius sede episcopatus Constan-
 * tinopolitani expellitur, Ioānes ex Sirime ortus, (est qui-
 * dē Sirimispagus Cynegicæ regionis Antiochiæ finitimæ)
 * in eius locum surrogatur.

*Quòd Iustinianus à recta fidei cultura excidēs, do-
 mini corpus omnis prorsus corruptionis expers
 esse contendebat. Cap. XXXVIII.*

Eodem tempore Iustinianus à recta sanæ doctrinæ via
 auersus, & semitam ingressus, quam nec apostoli, ne-
 que partes vniquam triuerant, in spinas & tribulos de-
 lapsus est, quibus ecclesiam farcire instituens, id quod vo-
 lebat minime est propterea consecutus, quod dominus re-
 giam viam ita firmis munimentis sepserat, vti homicidæ
 in eam, perinde ac si paries eius inclinatus, & maceries
 depulsa fuisset (in qua re expleta est quidem prophetia)
 minime insilirent. Itaque cum Ioannes, qui etiam Cate-
 linus dicebatur, Mortuo Vigilio, antiquæ Romæ, & Ioan-
 nes Sirimenfis nouæ, & Apolinarius Alexandria, & A-
 nastasius post Dominum Antiochiæ, & Macarius, qui ad
 propriâ sedē iâ restitutus fuit, Hierosolymorū episcopatū
 gubernaret, vbi concilium Origeni, Didymo, & Euagrii
 post

post Eustochij abdicationem anathema denuntiaverat, Iustinianus edictum scripsit: in quo asseruit corpus domini non esse obnoxium interecioni, neque affectionum illarum, quæ naturaliter insitæ sunt, inque nullam incurrunt reprehensionem, particeps esse, & dominum eodem modo ante passionem comediisse, quo post resurrectionem comedit, & corpus eius sanctissimum nullam conuersionem mutationemve vel ex formatione, quæ in matrice facta est, vel ex voluntarijs naturalibusve affectionibus accepisse, imò ne post resurrectionem quidem: quibus opinionibus vt Sacerdotes & Episcopi vbique assentiretur, compellere instituit. At omnes se Anastasij Episcopi Antiochiæ sententiã expectare respondendo, primum illius conatum depulerunt.

De Anastasio Antiocheno archiepiscopo.

Caput XXXIX.

A Anastasius, vir quidem erat cum in sacrarum literarum cognitione apprime disertus, tum in moribus & tota vitæ ratione adeò exquisitus, vt etiam rerum leuicularum magnam curam haberet, inque illis ne à cõstanti & stabili animi sui proposito decedere vellet, nedum in rebus maximi momenti & ponderis, & quæ ipsum Deum videretur attingere. Quinetiam ita suum temperauit ingenium, vt neque propter lenitatem animi, atque comitatem, nimis facile his rebus, quæ minus rationi consentientes erant, cederet, neque propter seueritatem & inclemetiam agrè his, quas recta ratio postulabat, assentiretur. Ac rebus serijs audiendis eius patebant aures, & vt sermone profluens, ita in quæstionibus dissoluendis acutus & perspicax. Rebus autem ineptis & nullius momenti occlusit aures: linguam verò sic quasi freno cohibuit, vt & sermonem ratione moderaretur, & silentium loquela præstabilius efficeret. Istum tanquam turrem imunitissimam oppugnare omni machinarum genere aggressus est, illud scilicet complectens animo, se si istum euerteret, nullo labore ciuitatem totam occupaturum, recta fidei dogmata redacturum tãquam in seruitutem, & ques Christi denique captiuas ab ecclesia abducturum. Verùm Anastasius sic diuina quadam animi celsitate elatus fuit (nam supra firmam fidei petram constitit) vt

Iusti-